

IACOBVS ZIEGLERVS PROFESSOR INGOLSTADIANVS.



Iacobus Landauus in Bauaria natus & educatus est. Is cum felici ingenio esset præditus, multis artibus simul incubuit, atq; præclaram Philosophiæ, Mathematicæ, & Theologiæ eruditionem sibi comparauit, ita ut non tantum apud Germanos, sed etiā exteris nationes plurimū innotesceret. Hinc factum ut Ingolstadij professor constitutus, eam scholam multum auxerit & exornarit. scripsit is librum De constructione solidæ sphæræ, atq; in Proclum scholia. præterea in C. Plinij De naturali historia librum secundum commentarium edidit, quo difficultates Plinianæ, præsertim Astronomiæ, omnes tolluntur. Terræ sanctæ quoq; situm & naturā cum tabulis proposuit, & alia maritima Germaniæ uersus Septentrionē loca illustrauit. scripsit etiā de rebus Indicis, præterea in Genesin & Exodū doctissima cōmentaria. De arbitrio humano de raptu Pauli in tertium cœlum: de solenni festo Paschatis, & cōmentaria in historiā Iudith, cū alijs huiusmodi, quibus ingenij sui monumēta ad posteros trāsmisit. Cum hoc modo Iacobus in magna authoritate esset, tādem anno 1549 multorum luctu apud suos Bauaros obiit, & honorifice terræ mandatus fuit. Con. Gess. Anon.